Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Hortvs Ciceronianvs sive Flores Apophthegmatum & Historiarum e Scriptis Ciceronis in Vsum & delectamentum Studiosae pubis excerpti

Omeis, Magnus Daniel

Norimbergae, 1699

18. Agar ancilla

urn:nbn:de:bsz:31-105410

Visual Library

rore ſuo exemplum timoris atqve fidei toti poſteritati relinqvit. Ab hoc Moabitæ, & Ammonitæ, nominis Ebræi hoſtes ſempiterni, procreantur.

18. *AGAR ancilla.*

Agar Ægyptia in domo Abrahami ſervit ſervitutem, juncta domini thalamo procreat ei Iſmaëlem filium. Cum autem ancilla adverſus heram, verna contra filium herilem, agerent proterviùs, ſibi promiſſionem arrogantes, detrahere ſtudentes eam Iſaaco, Deus arbiter intervenit, & expelli ex ædibus ambos curat. Agar ab Angelo in fuga conſilium, in exilio ſolatium accipit: qvi & fugitivæ ſvadet reditum, & de potentia naſcituri filii optata denunciat: vaganti in ſolitudine, ne perire filium inedia cerneret, qvem ſub arbore abjecerat, aqvæ fontem de-

monſtrat. Domus Abrahami hoſpitium Angelorum fuit, qvi cum ipſo, cum conjuge, cum ancilla ſunt locuti. Huic ancillæ & ejus filio populus legis a divo Paulo comparatur.

19. ISMAEL.

Iſmaël e ſerva filius Abrahami, cui hoc nomen Deus impoſuit Adultus cum inſoleſceret, hæreditate injuſte qvæſita excidit, & e domo patris divino permiſſu ejicitur: abundantia tamen bonorum fortunarumqve non caruit In deſerto expoſitus a matre, plorans exauditur a Deo, & Angeli præſidio conſervatur. Adoleſcentiam in montibus & ſylvis Arabiæ tranſigit, donec ex Ægypto uxorem duceret, e qva Principes duodecim generat: aliis robore & audacia formidabilis, ipſe nullius metuens vires aut potentiam.